



THanusius Philimero uita functo ob magnam corporis & animi fortitudinem Gothorū in Scythia existentium rex electus fuit, Anno mundi circiter: 670. Huic Vexores Aegypti rex potentissimus, & Orientalium populorum uictor bellum indixit. Id cum Thanusius intellexisset, subito copijs collectis Vexori obuiam processit, et eū in fugam cōiecit: sic totus eius exercitus cum belli apparatu post terga relictus, apud Phasidē prouinciam à Gothis deletus fuit. In ea expeditione Thanusius cum suis per quindecim annos fuēre, amoenitate Asiae delectati: donec tandem importunis uxorū precibus uicti ad Gothicas terras

Scythiae reuersi sint. Multi tamen in Asia permansere, ex quibus Parthi suam originem traxerunt, qui transfugae dicti fuēre. Hoc magnifico triumpho Tanusius in Scythiam reuersus, coepit regni sui statum in pristinam foelicitatem restituere, atq; nouam patriam legibus & aedificijs exornare, id quod factum est anno mundi circiter bis millesimo septingentesimo. Is tandem morte sublatus in numerum optimorum heroum, atque ipsa numina à suis relatus est. Post eius mortem duces genti praefecti sunt, qui iterum hinc inde bella exercentes diutissime à patrijs laribus abfuerunt. Interim eorum uxores patriam fortiter defendētes Amazonum initia fecēre. Has enim Iustinus Scythas, Orosius uerò lib. 1. cap. 16. Gothas fuisse affirmant. Hisce etiā Dion Graecus, Ab labius Gothus, & tandem Iordanes accedit. Harum reginae fuerunt Lampeda, Marpelia, Orithya, Antiope, & Pentefilea, quae bello Troiano contra Graecos pugnavit. Diod. Sic. lib. 3. & 4. Iust. lib. 2, Ioan.

Mag. lib. 1, cap. 24.